

Q. B. V.

ΠΡΟΣΚΑΙΡΟΥΣ

Sive ad

Tempus credentes,

ex Luc. VIII, 13.

PRÆSIDE

VIRO

Magnifico, Amplissimo ac Summe-Reverendo

IO. FRIDER. MAYERO,

S. Theol. D. & Prof. Ord. Facultatis

Theol. Pro-Decano, Alumnorum Electo-

ralium Ephoro & Templi OO. Sanctorum

Præpos. Substituto,

Solenni Erūditorum Examine

D. XXII. April. A. O. R. M DC LXXXVI.

subjiciet

BALTHASAR SCHRÖDER,

Anclam. Pomeranus.

In Auditorio Majori.

WITTENBERGÆ,

TYPIS CHRISTIANI SCHRÖDERI, ACAD. TYPOGR.

Exeg.

C.

251/18



Jesu fortunante!

C A P. I.



Erba, in quæ præsentî Dissertatione
coñmentabimur, apud Lucam habes c. VIII.
v. 13. οἱ δὲ ἐπὶ τῆς πέτρας, οἱ ὅταν ἀ-
κέσωσι, μετὰ χαρᾶς δέχονται τὸν
λόγον: καὶ ἔτοι ρίζαν οὐκ ἔχουσιν, οἱ
πρὸς καιρὸν πιστεύουσι καὶ ἐν καιρῷ πειρασμῷ ἀ-
πίστανται. Quæ Erasmus Rotterodamus in Latinum idi-
oma ita vertit:

*Nam qui super petram, ii sunt, qui quum audie-
rint, cum gaudio suscipiunt sermonem & hi radi-
ces non habent, qui ad tempus credunt & in tem-
pore tentationis recedunt.*

Subjectum Dissertationis nostræ sunt οἱ πρὸς καιρὸν
πιστεύοντες, cujus explicationi hoc caput destinavimus.

§. II. Occurrit primum omnium particula πρὸς,
quæ propositionibus, ceu Grammaticis illiusmodi vocan-
tur, annumerari solet & diversis junctâ casibus diversum
quoque sortitur significatum. Modo namque adsciscit Ac-
cusativum, modo Genitivum regit, modo Dativum am-
plecti-

plectitur, in quibus etiam notionem mutat & interdum *ad* significat, interdum pro *κατὰ* adversus sumitur &c. quæ hic non coacervamus, sed ex Lexicographis haurienda ducimus.

§. III. Ceterum & attendenda nobis erit altera vox, *καιρός*: ubi non omittendam censemus, quam faciunt Philologi, differentiam inter *καιρός* & *χρόνος*; qua *χρόνος* μήκος ἐστίν, *καιρός* εὐκαιρία i. e. *χρόνος* est spatium temporis *καιρός* est opportunitas; quemadmodum *Severianus* loquitur apud *Jo. Caspar. Suicer.* in thesaur. Ecclesiastico, opere plusquam 20. annorum spatio collecto, ceu ipse author id testatur in præfat. ad lectorem, sub V. *χρόνος* pag. 1561. b. Huc faciunt, quæ idem *Suicerus* l. c. ex aliis quoque Scripturis allegavit. Sic autem pergit, *Cæsarius quest. XXXV. p. 66.* ἕτερον μὲν χρόνος, ἕτερον δὲ καιρός. τὸ μὲν γὰρ μήκος ὑπάσχει σημαντικόν, τὸ δὲ εὐκαιρίας. ἢ γὰρ φάμεν χρόνος ἐπέεσσι ἀμήτη καὶ τρυγητῶ, ἀλλὰ καιρός, ἢ δὲ χρόνος γῆμαι τὴν νεάνην, ἀλλὰ καιρός. *aliud quid χρόνος, aliud vero καιρός. Illud namque spatium, hoc vero opportunitatem denotat. Non enim dicimus χρόνος instat messis vel vindemia, sed καιρός, neque dicimus χρόνος est ducendi puellam, sed καιρός. Olympiodorus ad vers. I. cap. III. Ecclesiastæ pag. 617.* χρόνος μὲν ἐστὶ τὸ διάστημα, κατ' ὃ πρᾶττεται τι. καιρός δὲ, ὃ ἐπιτήδευσι τῆς ἐργασίας χρόνος, ὥστε ὁ μὲν χρόνος καὶ καιρός εἶναι δύναται. ὁ δὲ καιρός ἢ χρόνος, ἀλλ' εὐκαιρία τῶ πρᾶττομένων ἐν χρόνῳ γινομένων. *χρόνος quidem est spatium illud, in quo fit aliquid: καιρός vero est opportunum tempus aliquid faciendi. Potest itaque χρόνος, quidem etiam καιρός esse. καιρός vero non est χρόνος, sed opportunitas temporis in rebus peragendis, quæ fit in tempore. Quæ ipsa vocum harum distinctio in sacris non plane videtur prætermissa;*

missa;

missa; ipse namque divus gentium Præco Paulus Tit. I. 3. Deum dicit manifestasse hominibus opera prædicationis mysteria sacratissima & sermonem cœlestem *ιδίοις καιροῖς* i. e. illis ipsis temporibus, quæ sibi vigeantur aptissima, & divinæ sapientiæ potissimum congruebant. In quam sententiam idem ille Doctor alibi quoque scribit, & tempus Novi Testamenti, quo omnis donorum divinorum gratiæque sacri Flaminis copia fidelibus concessa est, vocat II. Cor. VI. 2. *καιρόν δεκτόν, καιρόν εὐπρόσδεκτον*; quorum solidiorem explicationem suppeditat de vetustioribus *Θεομενίης* ad citat. locum Pauli p. 529. *Καὶ ποῦ εἶναι ὁ εὐπρόσδεκτος καιρὸς καὶ ἡ ἡμέρα τῆς σωτηρίας; ἢ τῆς δωρεάς, ἢ τῆς χάριτος. Ὁ νῦν φῆσιν ὑπάρχων καιρὸς, ἐν ᾧ ἁμαρτημάτων μὲν ἀφεσις πρόκειται, ἢ δὲ δικαιοσύνη δωρεὰν δίδεται*: Et quodnam est tempus acceptum, & dies salutis? dies doni & gratiæ. Tempus præsens, inquit, in quo peccatorum quidem proposita est remissio, justitia vero ex gratia confertur. *ἐν* §. IV. Addendum quoque erit vocabulum ultimum *πιστεύειν*, quod plerisque notionum interpretibus *credere* notat, ita tamen ut certam fiduciam aut confidentiam inferat, quod conferenti sacros fontes cuilibet evadet satis manifestum. *ἐπέστευσεν Ἀβραάμ τῷ Θεῷ* i. e. credidit Abraham Deo; ubi Johannes Drusius, Professor olim S. litterarum Franeckeranus non male ellipsin statuit particulæ *ἐν*, ut Apostolus in Deum credidisse Abrahamum doceat, quod ipsi demum tantos fructus attulit & in justitiam est reputatum. Alioquin & Dæmonia credere Deo dicuntur, quod ille unus sit, sapiens, omnipotens, misericors Jac. II. 19. sed fide ista nil proficiunt, potius contremiscunt, & vinculis nunquam interrumpendis manent divino jussu impedita

in tartareis sedibus. Sic crediderunt quoque homines V. fœderis plus vice simplici angelorum apparitionibus & revelationibus, quid autem inde commodi ad istos redundavit? potius ultorem a/q; vindicem acerrimum experti essent Deum, si credere angelis & in angelos eadem censuissent; cum hanc potissimum gloriam sibi uni reservare voluit Es. XLII, 8. & mala ipsi eventura minitetur, qui in homine fiduciam ponat, aut ulli creaturæ confidat. Quam phrasium distinctionem, etiam si notionem spectas, credere Deo, & in Deum more suo, id est, solide ad nostram explicat abstractam modo sententiam B. Danhaw. in P. IV. Catechismus-Milch p. 150.

Credo Deo. Ich glaube denselbigen GOTT / daß ist / ich gebe seinen Worten beifall. Ich bins gewiß / daß es wahr sey / was GOTT dräuet / sagt und zusagt / denn er ist ein wahrhaftiger GOTT / der nicht lügen kan. Trau ich einen redlichen Biedermann / warumb nicht vielmehr GOTT im Himmel? ein Kind glaubt seinen Eltern / wann sie ihm auch die aller wunderbahrllichsten / unerhörtesten / ungläublichsten / ungerimtesten Dinge fürsagen / warumb sollte ich denn auch GOTT nicht glauben? ist aber noch nicht genug / denn auff solche weise glauben die Teuffel all—solchen Glauben hatte auch der verzweiffelnde Spira / darumb folget ferner:

Credo in Deum. Ich glaube an oder in GOTT; wie dort die Niniviter / von welchen geschrieben steht: die Leute zu Ninive glaubten an GOTT; und die Jünger Christi / zu welchen unser Heyland spricht: glaubet ihr an GOTT / so glaubet ihr auch an mich; heist
deros

derowegen/ ich glaube an oder in GOTT/ eben so viel /
als / ich verlaß mich auff GOTT / als auff eine sichere
Freiheit und Grundfest / auff das endliche Ziel meines
Glaubens / ich bau ein Schloß auff ihn / ich bestehe dar-
auff ohne wanden / ich vertraue seinem Wort / Befehl
und Verheißung / auff welche Art und Weise auff kei-
ne Creatur zu bauen ist. -- Darumb wir auch nicht
sagen : ich glaube an eine Christliche Kirche / denn das
Wort in / 2 stehet GOTT alleine zu / ob wohl ein einziger
Einwurf kan gebracht werden aus dem alten Tes-
tament / da gelesen wird : Das Volk fürchte den
HERRN und glaubte ihm und seinen Knecht Mose ;
So ist doch ein einziger Ort / und das 2 durch 3 zuer-
flähren ; nach der LXX. Griechischen von Sanct Jo-
hanne in diesen Stück bewährten und angenomme-
nen Dolmetschung. &c.

§. V. At illos ipsos, quos divus Lucas per aliquot vo-
cabula denominaverat, uno recenset Matthæus c. XIII. v.
21. & προσκαιρος, dicit ; quod compositum est ex particula
πρός & καιρός. Ceterum hic induit adverbii naturam par-
ticula πρὸς & juncta substantivo καιρός in adjectivum
transmutatur. Sic autem affectu & nulli circumstantia-
rum considerationi alligata notat quodvis instabile, cadu-
cum ac fluxum, & opponitur firmo ; e. g. 2. Cor. IV, 18. per
πρόσκαιρα intelliguntur, quæ in mundo sunt & oculis con-
spiciuntur nostris ; aliquando peritura, adeoque opponun-
tur αἰωνίοις, quæ fide assequi oportet homines, æternum
duraturis. Hebr. XI. 25. ἀπόλαυσις ἁμαρτίας πρόσκαιρος dicitur
fruitio peccati temporalis, i. e. non sibi constans & tran-
sitoria.

§. VI.

§. VI. Quinam ergo illi προσκαίροι in verbis Matthæi? Chrysoſtomus definit apud Heinf. in Ariſtarcho p. 869. ἅς τὰ σημεῖα ἐφείλετο ἔχ' αἱ προφητεῖαι ἔχ' αἱ διδασκαλίαι quoscunq; miracula attaxerant non Prophetie aut Doctrinae. Sive ut B. Danhavverius ex P. I. Hodom. Calvin. Spiritus p. 624. verbis dilerti ſimilis, qui ita iſtos nōpis exhibet. Similes ſolo petroſo, inquit, qui verbum quidem accipiunt. Evangelium laudant, dum nihil affectibus illorum gravius predicatur, ſed obiter tantum ἔ̄ ostentationis gratia. Sed ſicut ſemen inter medios lapides enatum profundiore radice deſtitutum ſolis aſtu aduritur ἔ̄ in ipſa herba extinguitur, non aſtus ſolaris vitio, qui prodeſt ſemini ad maturitatem, ſed radicis defecto, hi ſint προσκαίροι. Cui magnus noſter Chemnitius, quem ipſi quoque Pontificii ſuſpiciunt, ceu patet ex colloquio cuiusdam Cardinalis cum Brunſvicenſium Principum Legato Tridenti habito, jam dudum præiverat Tom. I. Harmon. p. 649. Sunt hi illi, qui verbum non tantum audiunt, ſed ἔ̄ illud ſuſcipiunt, idq; non ſimpliciter, ſed cum gaudio; dum ſcilicet atiorum ſuperſtitiones ἔ̄ impietates, non autem ſeipſos taxari audiunt. Dum ergo nihil ipſorum affectibus contrarium affertur, verbum predicant, Evangelium commendant, de fide loquuntur ἔ̄ ſplendide fructum pollicentur.

§. VII. προσκαίρων itaque fides non eſt hypocritica, ut Calviniani volunt, quo fucum atque veritatis faciem doctrinæ de decreto illo abſoluto toties proſtratae expugnataeque obtendant: quanquam analogice, ſique finem ſpectes, ad iſtam referri poſſe nos non negemus, ſed vera, gratiæ Dei & merito Chriſti confidens. Illa namq; fides huius loci eſt, qua homo ſparſum ſemen in ſigni cum gaudio recipit. Bene Gregorius homil. 15. in Evangel. apud Cornel.

Cornel. a Lapide in comment. in Matthæum p. 279. *Petrosa terra non habuit humorem; quia hoc, quod germinaverat, ad fructum perseverantiae non perduxit. Multi namque cum verbum contra avaritiam audierunt, eandem avaritiam detestantur, rerum omnium contemptum laudant; sed mox, ut viderit animus, quod concupiscat, obliviscitur, quod laudabat. Multi cum verbum contra luxuriam audiunt, pollutiones carnis non solum perpetrare non appetunt, sed etiam ob perpetratas erubescunt: sed mox ut carnis species eorum oculis apparet, sic mens ad desideria rapitur, ac si adhuc ab ea nihil sit contra hac eadem desideria deliberatum: Et damnanda agit, que quicquid egisse se meminit jam Et ipsa damnavit. Saepe etiam contra culpas compungimur Et tamen post fletum ad easdem culpas redimus.* Rem autem totam B. Balthasar Meisnerus Anthropol. Dec. II. Disp. XIX. p. m. 308. conficit; *Hic sermo est, (posteaquam præmisisset verba ex Luc. VIII. v. 13. de quibus nos h. l. agimus) non de fide ficta, sed vera, quoniam dicitur 1. ipsos verbum suscipere cum gaudio, 2. ad tempus credere, 3. tentari vel probari. Nemo autem a Deo tentatur nisi fidelis, 4. Recedere, sin autem vera fide nunquam præditi fuissent, vere non recederent. Proinde frivola est exceptio Polani, qui per τὸ credere intelligit non fidem salvificam, sed duntaxat historicam seu simplicem assensum. Etenim versu preced. 12. satis apparet, quo sensu τὸ credere hic sumatur, quando dicitur: qui secus viam, hi sunt qui audiunt, deinde venit diabolus ac tollit verbum de corde eorum, ne credentes salvi fiant. hic certe sermo est de fide salvifica, qua nempe quis salvus fit. Eodem a. sensu accipitur versu sequenti. Confert enim eos, qui secus viam, cum iis, qui*

B super

super petram sunt & eos non credere, hos autem ad tempus credere adfirmat. Qua igitur fide illi non credere eadem hi ad tempus credere dicuntur, si comparatio legitima esse debeat. Ast illi dicuntur non credere fide salvifica. Ergo hi dicentur credere fide salvifica. Et si de historia tantum niter loqueretur Servator, annon & de iis, qui secus viam, & quin-ter spinas consistunt, dici posset, quod crederent; quos tamen Christus credere negat? loquitur enim de iis, qui sunt in Ecclesia; omnia autem Ecclesie membra historicam ut habeant fidem necesse est quamvis non salvificam. Nam qui ne quidem historicum prebet verbo Dei assensum, is plane ad Deum, nec pro membro Ecclesie visibilis habendus est.

§. VIII. His nondum acquiescit Daniel Chamierus suis tota Davidi orum procerum cohors, totum Davidi. & turris armamentarium, totus exercitus Israelis ex Josephi Hal-li Oxoniensium Episcopi ap. Andr. Rivet, in Epist. Apologet. ad Guilielm Fratrem ad criminat. Mosis Amyraldi pag. 109. sed credere πρὸς αἰσθητικὸν dici asserit, non quod revera credant, sed ita videantur: omnes, inquit, dicuntur recipere, qui externe profitentur. At non omnes qui profitentur, etiam vere credunt, sed videntur alius, interdum etiam sibi; sed Deo non videntur &c. in Panstrat. Cathol. L. XIII. c. XXI. n. VIII Cui autem textus refragatur & referenda quoque verba huc sunt, quæ ex Meisnero jam citavimus, non conservari comparationis leges, si interpretationem vel detorsionem Chamieri sequaris. V. 12. Diabolus verbum rapere dicitur illis, qui ad viam seminati, ne credentes talventur; quod non de fide historica intelligendum, cum & ipsi Dæmones eadem semper sint instructi nec talventur. Quid quod fructus edidisse recenseantur. Accipe in hanc
len-

sententiam *Feurborn.* dissert. de peccato in Spiritū Sanctum, quæ reliquis junctā dissertationum fasciculis, verba p. 1880. Hi auditores (πείσανται) salvificam habuerunt fidem; quia cum gaudio susceperunt sermonem Dei v. 13. quæ pbrasis, in & cum tota sua plenitudine & coherentia sumta, est descriptio fidei justificantis & salvantis, ut constat, ex inductione Locorum S. Scripturæ, sicut antehac probavi adversus D. Eglinum in *Necessaria* responsione ad ipsius assertionem de peccato in Spir. S. Disp. 1. §. 33. ubi vide. Quid? in his auditoribus semen verbi divini fuit exortum & evatum Matth. 13. 5. Marc. 4. 5. & Luc. 8. v. 6. Ergo in illis fructum produxerat. Quem? Fidem. Justificantemne an aliam? certe justificantem, quæ includit *στέφανον*, illam peculiarem, nempe certam verbi divini in corda susceptionem. sicut enim non recipere verbum Dei est actus *ἀπιστίας* damnantis; ita recipere cum letitia est actus fidei salvantis.

§ IX. Quis ergo neget τὴν πρὸς καιρὸν πιστεύοντας non veram habere fidem, quam ipse sacer codex ipsis tribuit. Neque vero aliquid detrahitur isti, si essentiam spectes, quod non adeo constans sibi & perpetua quasi sit; cum & puer modo genitus dicendus sit homo, si vel maxime illico post partum exspirare ipsi contingat. Ad veræ segetis essentiam non requiritur duratio: tam vera seges est, quæ jam viret & postea vel nive suffocatur, vel per aestum solis exarescit l. a. feris depascitur, quam illa quæ ad messem usque durat: neque sani agricola ullum discrimen agnoscunt. Sed talis est fides temporaria secundum descriptionem hujus parabole. E. in sese vera est, etiamsi tandem deficiat. ceu optime colligit *Johannes Meelführerus* monasterii Heilsbronnensis Abbas *Vindic. Evangel. Dec. II. Disp. VI. p. 143.*

§. X. Atque hujus probati satis dogmatis existit tanta veritas; ut testimonium ab adversario ejusdem sectæ Petro Bertio extorserit, qui in Hymenæo desertore p. 59. scribere hæc non erubuerit. *Hi mihi videntur dicere, Bucephalum non fuisse verum equum, quia mortuus est. At essentiam rei non facit duratio, visus tam est is, qui unum duntaxat annum durat, quam qui viginti. Et sive amittatur visus post annos viginti, sive post unum annum; amissio visus vocabitur cæcitas, verus enim visus amittitur. Eadem quoque fidei ratio est, que deserui non posset, nisi haberetur. Et p. 61. Temporalis non debet opponi verum, sed permanens, Et vero non debet opponi temporale sed falsum. Recta igitur erunt omnia si dixeris, fides est vel vera vel falsa vel ficta. Et vera est vel temporalis, vel permanens: permanens est ex gratia, temporalis ex vitio hominum, ob neglectum scilicet Et socordiam aut curas mundi aut alias ob causas Et c.*

§. XI Quod si ejus testimonium suspectum credas, luculentius suppeditabo, quod a publicis eorum Doctorebus per litteras accepimus. Fatentur Groning. Omlandi p. 432. *πεποιναίοντες verum credere Evangelium Christi, illud accipere, Et cum quadam suavitate ac gaudio etiam degustare, esseque in illa quandam mentis cognitionem, Et voluntatis sive cordis apprehensionem apud Job. Meisner. in Exam. Catechismi Palatini p. 808. Et si Calvinio credimus, pergit modo laudatus Meisner. l. c. omnes veræ fidei proprias operationes atque fructus edunt, juxta Tilenum autem motus fidei vehementiores, quam in Electis deprehenduntur, sentiunt.*

§. XII. Affirmatis itaque & positis in actu fidei effecti.

fectibus, necessum quoque erit ipsam causam, fidem affirmari atque poni, quippe quæ indissolubili nexu & mutuo quasi vinculo conjuncta atque copulata sunt. Et nescio quæ ipsorum animum ceperit imprudentia, ut cum ipsis omnia quæ fidei veræ sunt, tribuant essentiam, veritatem atque definitionem ejusdem propter solum externum & eventuale accidens, perseverentiam, negent; quemadmodum ex *Bertio* citatus supra *Meelfübrius* noster 144. refert.

§. XIII. Quisnam ergo fidem veram germanamq; qua beneficia Christi merito suo, vitæ pariter ac mortis, five ut Theologi loqui amant, obedientia activa & passiva nobis parta amplecti licet, *προσκαίρει* jure denegaverit? nisi qui præjudicio occupatus & partium abreptus studio veritatis facem oppido lucidam non admiserit. Huic namque convenit cum electorum fide de *objecto*; in Deum vim illam cœlestemque mentem credit atque eo spectat, eundem Christum cum omni suo merito gratiaque, animis hominum peccati moerore atque venia, confusis ac contractis gratiosiori atque exoptatori, quam agris sitientibus ros matutinus accidat, complectitur, perinde ac seminator, dum semen sive cum petrosa sive cum fœcunda terra communicat, omnem seminis vim imperdit; ita cum divini verbi semen istis temporariis dispergitur & recipitur, eadem quoque verbi vis recipitur, quam reliquis impertiebatur divina bonitas, fidelibus, de *subjecto*. uterque homo, & *προσκαίρει* & verbum sparsum ad ultima usque retinens pectore fideli memorique est homo perfecte regeneritus. Quam inepte enim dixeris hominem ex parte tantum generari atque edi ex utero materno, in eandem incureris reprehensiohem, si ex parte homi-

nem regenerari asserueris. Quicquid ex Spiritu natum est, spiritus est Joh. III. 6. De principio; est idem seminator qui idē semen utrumque spargit, utrinque spem lætæ messis capiendæ ferens, ut ut rem cecidisse aliter evenus doceat, non sua quidem, sed agri i. e. hominum culpa. Docet id. Tarsensis Doctor Paulus Eph. IV. 4. ubi Ephesios in una spe vocationis dicit vocatos, ἐν σώμα, καὶ ἐν πνεύμα: καθὼς καὶ ἐκλήθητε ἐν μιᾷ ἐλπίδι τῆς κλήσεως ὑμῶν. Hæc paucis exprimit B. Meelführerus loco jam cit. pag. 143. quem iterum audire lubet: *habuit sui ortus easdem causas cum vera fide nempe eundem seminatore, idem semen, eandem humectantis & foventis spiritus gratiam; & non nisi ex desertione harum causarum tandem deficit.*

§. XIV. Sic satis patet, omnino fidem tenuisse veram, quos hactenus descripsimus; quomodo alias e nobis dicerentur exisse apostate, si nostri non fuissent? privatio certe supponit habitum. Sicut contra flagitiosi, electi licet, eo tempore, quo flagitiis operantur, non sunt membra Ecclesie, carent communionē sanctorum i. Joh. I. 6. 7. Sunt verba B. Danhavveri cit. loco p. 625. Ceterum hæc ipsa verba ex I. Joh. II. 19. citata, quæ pro se facere putant Calvinisequæ, imprimis vero Massonius, hier stehts / inquit, beides mit klaren Worten. Das alle Gläubige beständiglich wahre Glieder der Kirchen und derohalben auch im Glauben bleiben: und hingegen daß die Abtrünnigen niemahls wahre Glieder der Kirchen / sondern Heuchler gewesen / sie haben für einen alatten Schein gehabt / wie sie immer wollen / apud Danhaw. l. c. p. 2079. idem p. 3000. vindicat.

§. XV. Quæ

§. XV. Quæ oppido evidenter probant, minus recte illos προσηκείους dici, qui leviori cum malo, conflictati & quacunq; impulsæ ægritudine fluctuant insignem se sumtuos vindictam existimantes. si religionem mutent & ab altera impura ad alteram minus integram abeant. Supra satis demonstratum credo, quod & προσηκείους fide vera & salvifica instructi sint; quam cum illi non habeant dogmatibus impurioribus vacantes, neq; illa excidentes eorum nomen promerentur. Quapropter facile colligimus, non illo venire nomine *Marcum Antonium de Dominis*, socium olim eorum, qui a Jesu nomen præ se ferunt, Rhetorices & disciplinarum Mathematicarum diversis in locis Doctorem, tandem Episcopum Segniensem & Archiepiscopum Spalatensem, Dalmatiæ primatem, ipsis frustra indignantibus, quod sibi amplius non esset profuturus, ut hac de causa eundem suorum numero exemerint, ceu ex Bibliotheca *Philippi Alegambe* patet, in quo hunc non offenderis. In isto constitutus dignitatis culmine nocturna diurnaque manu Patres Vetustiores Ecclesiæ Doctores versabat & præsentis cum prisca illa nullam deprehendebat conjunctionem neque morum neque dogmatum; qua stimulos expertus conscientia ad Calvinæ Synagogam abiit, in Angliam profectus. Facta ipsi interea impunitatis spe a Pontifice Maximo Romam remigravit an. 1622. ad suos Papistas relapsus, post palinodiam tamen & heresin illam in carcere arcis Angelicæ ejuratam, obitamque in illo mortem Romæ in campo Flore exustus fuit. Uti ultima ejusdem *Augustus Varenus* in Breviario Theologico p. 787. describit. *Grammondus* Præses Tholosanus eadem fere l. 3. Histor. Gallican. p. 196. habet; quibus addas *Gisbert. Voet.* P. III.

P. III. Disputat. select p. 781. Ut autem abitum honestiorem parare videretur, expectatum sibi & desideratum praesidium minime inventum praetendebat, nullam quoque justitiae & lenitatis fratribus in Christo ac amicis dignae in Dordracena Synodo contra eos, qui Jacobi Arminii partes tuebantur Arminianiq; hinc & Remonstrantes pariter audiebant, habitam in epistola ad *Josephum Hallum* Episcopum Oxoniensem missa querebatur, quam in compendium missam habes T. III. Ephemerid. p. 84. Etenim quod in istam coacti patres partium studiosi fuerint *Ludovicus Molinae*, *Laurentius Womachius* hic in Academia Cantabrigiensi iste vero in Oxoniensi Professor scriptis peculiaribus, ut ut ipsi de Calvinii grege, probarunt. Ostenderunt idem, qui eidem interfuerunt, *Hales* nominatim & *Walth. Balcanquhal* in variis litteris ad suos remissis; quas Remonstrantium litteris adjunctas & simul editas habes: seorsim vero Germanice easdem vulgavit *Hortnaccius*. Quis ergo credat *Jacobo Capello* P. I. disputat. Sedanens. p. 986. glorianti, nullam Synodum post Apostolorum tempora meliorem existisse. Hac inique acta nondum satis firmatum in ejusdem sacris animum facile absterruerunt, ut reditum ad suos meditaretur. Sed quacunque impulsus causa & quilibuscunque promissis invitatus *Marcus* noster ut ad Calviniana castra transierit vel ad suos redierit, non in *προσκαίρων* censum venit, cum utraque Ecclesia, unde & ad quam lapsus fuerit, minime cum orthodoxis nobis consentiat, sed oppido discordet non in quibusdam rerum circumstantiis & factis magnopere adeo non suspiciendis, sed & fundamentis, quibus sublatis aut eversis, tota aedificii moles rueret: quod adversus intempestivos pacis ineundae praeco-

præco-

præcones, nostri satis accurate ostenderunt. Proinde illi demum nominantur *προσκαίροι* qui a religione Lutherana, id est, orthodoxa (nam orthodoxum ac Lutheranum ut Synonyma recurrere satis clarum est, scriptura fidei ac credendorū norma accuratissima præeunte) vel ad Papæos vel Calvinii cœtus vel Socini gregem & alia hæreticorum agmina delapsi sunt degeneres, ac fontes vivos pereñesq; deserendo foderunt sibi בארות באבות נשברים אשר לא פuteos rimarum plenos, aquarum non capaces; quorum cum multi libri pleni ferme sint, & multa adsit exemplorum copia, pauca quædã prælibabim⁹, quæ servandi autẽ ordinis gratia ad caput reservabim⁹ tertium.

C A P. II.

§. I.

DE scriptis hætenus, quantum quidem licuit, *προσκαίροις* quinam isto veniant nomine; dispiciendum nunc nobis erit, unde hæc non firma sit felicitas; & quænam homines causæ ad *προσκαίριαν* moveant. Inspicienti Sacros fontes occurrit vox *πειρασμῶν*, quæ tentationem infert, qua pressi homines recedere dicuntur.

§. II. Est autem *πειρασμός* *tentatio*, in genere, qua quis explorat vires suas, aptusne sit ad obeundum illud munus & qualis sit in eo futurus, experitur. Estque ejus significatio indifferens, ut sicut ejus radix *tentare* vel in bonam vel in malam accipiatur partem ratione & respectu illorum, qui tentationis duces authoresque existunt. Tentat Deus optimus Maximus fideles suos premendo variis calamitatum generibus, illosque patris instar castigando,

C

gando,

gando, ut fidem illorum sibi quidem cognitam, aliis autem itidem intelligendam atque imitandam prober atque ad-
versarium in ruborem det.

§. III. Oppido in rem facit, quæ *Clemens Alexandrinus*, magnum illud Ecclesiæ lumen Alexandriae atque columen commentatur Stromat. IV. p. 513. ad Hebr. XI. 37. quæ varias istas exprimit afflictiones, quibus martyres vexati sunt. ὁ Θεὸς ἐπειράσεν αὐτὰς, ταῖς ἐν, εἰς δοκιμίον καὶ δυσωδίαν τὰ πειράζοντες, ἔιασεν αὐτὰς πειραθῆναι. καὶ εὗρεν αὐτὰς ἀξίους ἑαυτῶν, υἱὸς κληθῆναι δηλονότι. ὡς χρυσὸν ἐν χωνευτηρίῳ ἐδοκίμασεν αὐτὰς. *Deus tentavit eos, hoc est, ad eorum probationem, ut pudore afficiatur tentator, sicut eos tentario. Et invenit eos se dignos, ut scilicet vocentur filii tanquam aurum in fornace probavit eos.*

§. IV. Atque *hac tentatio est probans fidem, qua Deus dignatur tentare; tentatione autem peccatum adducente Deus neminem tentat.* Sunt verba Magni Hippo-
nensium Præfulis & Augustissimi Ecclesiæ Doctoris *Augustini sermon. XI. de Verbis Domini;* quæ potissimum tentatio premebat Abrahamum; *tentavit Deus Abrahamum & immolare iussit filium Gen. 22. 1.* Facilem & promptum autem ad hoc mandatum exequendum cum deprehendisset Deus, filium conservatum integrum dimisit; & sacrificium esse voluit loco filii arietem. In quibus fidei explorationibus *Calvini* grex se deprehendisse existimat, quo non, ceu dicunt, pueri in faba; sed firmum certe, & stabile præsidium ad suffulciendum de varia Dei voluntate, quasi aliud animo velit, aliud ore destinet, dogma. Ceterum inanis gloriæ ducuntur gaudio & omni excidunt spe. Non aliud ergo iussit *voluntate signi, quam voluerat,*

luerat voluntate beneplaciti; iussit ut immolaret filium
 id de maclatione inchoata (nam & hæc Spiritui S. ma-
 clationis nomine venit) an consummata intelligendum
 esset, non addidit Deus, quod tentaret Abrahamum; sine
 διακρίσει itaque Abrahamo mandatis Dei obedire conve-
 niebat, ut ipso facto addisceret, num de consummata
 an inchoata maclatione intellectum Deus vellet
 mandatum suum. conf. Magni *Schmidii* comment. in epi-
 stol. ad Hebr. p. 129.

§. V. Tentabat itaque divinum Numen Abraha-
 mum probandæ fidei causa; ob eandem rationem etiam-
 num Deus fideles tentat: quod multis oppido difficile
 videtur, cum ingenio humano imprimis aptum justumq;
 censeatur, eos omni rerum ac felicitatis copia affluere
 debere, quibus DEO adhærescere curæ cordique sit; pre-
 mi autem, imo opprimi fortunæ adversitatibus, qui eidem
 adversati vitam omnibus coinquent vitiorum sordibus.
 Verum enim vero aliam hic esse Numinis, quam hominū
 mentem memineris; quam cum eleganter satis exprimit
Chryostom. homil. 13. in Matth. non possum ejusdem
 commentationem prætermittere. Δια τῆτο ἔδὲ ἐπιόντας
 κωλύει τοὺς πειρασμοὺς ὁ Θεός; πρῶτον μὲν, ἵνα μάθῃς, ὅτι
 πόλλω γέγονας ἰχύτερος. Propterea Deus ingruentes non
 cohibet tentationes, primum quidem, ut discas, te longe
 fortiozem factum esse. Secunda ἵνα μὴ μετριάζῃς, καὶ
 μηδὲ τῷ μεγέθει τῶν δωρεῶν ἐπαρθῇς, τῶν πειρασμῶν συσέλλειν
 σε δυναμένων, ut intra modestiæ cancellos te contineas, neque
 donorum magnitudine efferaris, quia tentationes te depre-
 mere possunt. Tertia, ἵνα ὁ πονηρὸς δαίμων ἐκεῖνος ὁ τέως ἀμ-
 φιβαλλῶν περὶ τῆς σῆς ἀποστάσεως, ἀπὸ τῆς βασάνος τῶν πειρασ-
 μῶν

μῶν πληροφορηθῆ, ὅτι τέλεον αὐτὸν καταλιπὼν ἀπέστη. *Ut malus ille Demon, qui de tua adhuc a se discessione dubitat, ex ipsa tentationum tollerantia discat, quod ab illo prorsus discesseris.* Qv. ἵνα ἰσχυτέρος καὶ σιδηρὸς παντὸς ἐυτονώ-
 τῃ. Ὁ ταύτη κατασκευασθῆς *ut fortior es omni ferro valentior hac ratione reddaris.* Quinta ἵνα ἀπέδειξιν λαβῆς σαφῆ τῶν πιστευθέντων σοι θησαυρῶν. ἔδὲ γὰρ ἂν ἐπήλθει ὁ διαβολος, εἰ μὴ σε ἐν μείζονι γενόμενον εἶδε τιμῆ. *ut manifestum capias documentum thesaurorum tibi creditorum: neque enim diabolus te aggredieretur, nisi in majori te constitutum conspiceret honore.* apud Clariss. Rittershus. Lect. Sacrar. Lib. VI. c. XV.

§. V. Sic ergo Deus fidelium vires tentat, ut ad bonum ista exploratio vergat; nequaquam vero eo pertinet, ut ad malum ista impellantur homines. Non ullis poterit argumentis a blasphemiae reatu vindicari illud dogma, quo Deus ad malum homines tentare asseratur; non etenim delectatur iniquitatibus hominum. *ἡ τὴν εὐστὴν ἡ τὴν*
ἡ τὴν Psal. V. 5. ἀπειρασὸς κακῶν Jac. I. 13. quod ex ratione ut ut multum depravata quidem satis innotescit. In hanc ergo sententiā Platoni hæc fluxerunt L. 2. Politicor. circa finem: κακῶν δὲ αἰτίον φάναι Θεὸν τινὲ γίνεσθαι: ἀγαθὸν ὄντα διαμιχέ-
 ῃον παντὶ τρόπῳ, μήτε τίνα ταῦτα λέγειν, ἐν τῇ αὐτῇ πόλει, εἰ μέλλει εὐνομήσεσθαι μήτε τίνα ἀκθεῖν, μήτε πρεσβύτερον μήτε ἐν μέτρῳ, μήτε ἀνευ μέτρῳ μυθολογεῖντα ὡς εἰδ' ὅσια ἂν λεγόμενα εἰ λέγοιτο, θεὸς ἔξυμφορα ἡμῶν, ξυμφωνα αὐτὰ αὐτοῖς h. e. *pugnandum omni modo ne quis dicat in sua civitate, quæ secundum leges administranda est DEVM alicui causam fieri malorum, imo ne quis audiat talia vel Juvencem vel senem, vel cum metro vel sine metro fabulantem tan-*
 quans

quam ea neque sint sancta, si dicantur, neque utilia nobis neque consona sibi met ipsis. Nihilominus hoc dogma est Reformatis; qui utut hodie id obstinate negent & cautius mercari videantur nostrates ad iudicium Dei iustissimum vocantes, quibus hanc sibi injuriam fieri clamitant; quod pluribus agit *Gisbertus Voetius* T. I. *Disput. Select. in Dissert. De methodo respondendi ad calumnias, an Deus sit Author peccati*, nihil tamen proficiunt, latentem sub pectore vulpem gerentes, mentemque *Calvini* retinent, & *Lingvam Lutheri* præ se ferunt; ceu peculiari commentario illorum fraudes *B. Menzerus* exposuit, cui tit: *Lingva Lutheri, mens Calvinii*.

§. VI. Nobis ergo cum Deus dicitur *πειράζων*, præeunte Scriptura explorat fidem, quam aliis probet ac adversariū confundat, qui pios Deo deditos vivere non ex amore, sed beneficiorum potiundorum expectatione profitetur *Job. I. 9.* eiq. aliter diabolus, qui itidem homines explorat, sed ad malum; cuius ipse primus fons & author; hinc *πειράζων* dicitur *Matth. IV. 5.* hinc optimus quoque ingeniorum atque animorum explorator & spectator; quorum quo ferantur inclinati appetitus, illis adjuvandis nunquam non adest hominesque variis tentando illecebris decipit atque implicat. Vias autem variat; quibus huncce vel illum prosternat atque implicet. Ipse cum sit sceierum mille artifex, optime intelligit, non una, semper ratione procedendum esse, ne artes jam cognitatas facile declinent.

§. VII. Quapropter pio sæpe ac religioso habitu ornatus, specie in oculos oppido incurrente, incessit & Christum mentitus Servatorem monachis aliquoties se

obtulit, ceu *Vite Patrum* id restantur, adorandum; quod sane pia exhorrescit mens; nihilominus eidem sceleri defensionem parant Papæorum plurimi. *Gabriel Vasquezius* magnum illud ætatis suæ inter suos prodigium & Scholasticorum facile princeps Lib. III. de adorat. Disp. I. c. V. adeo insanit ut defendere conetur: peccatum non esse, si quis imaginem, sub qua diabolus delitescit, latrice adoret. fol. 49. seqq. Et vix vero dubitandum erit ejusmodi aut simili instructum persona visum aliis, cum se transformare calleat in angelum lucis I. Cor. II. 14.

§. VIII. Quod si hac non amplius succederet, alia aggrediendum via ratus objecta movit sensibus externis; quæ appetendo a persequendo bono, quod labore assequi conabantur industrio, hominus dimoverentur. Illapsus autem sensibus internis non quidem quoad substantiam, sed suggestiones easq; etiã immediatas varia injecit. *Non diabolus*, inquit *Johannes Adamus Osiander* Tubingensium utriusque cathedræ Doctor Incomparabilis Theol. Casualis p. 1549. ut observat quoque *Thomas Godwin*. directe agere in animum hominis potest, vel hunc proprie subintrare, sed cognoscens singulares animorum inclinationes & affectiones, ex effectis & continuis actionibus, illis ubique fomitem & materiam subministrare, & speciebus variis turbare Phantasiam & talibus suppeditatis objectis detinere mentem atque ablandiri potest, fores animi non effringendo, sed deprehendendo apertas & securam dum *Matth. 12. 43.* Quæ tamen non eo sunt torquenda quasi injectionem immediatam cogitationum in mentem negaremus, statueremus tantum mediate per injectionem, concitationem, perturbationem phantasmatum, & consequenter phantasiae delusio-

lusionem, fieri tentationes; quod posterius statuere videntur plerique Scholastici. Contra quos, nominatim Martinum Bresserum & Calvinianos quosdam Perkinsum aliosq; citat. modo autor pugnat ac firmis admodum rationib; suggestionem diaboli in corda hominum immediatam defendit I. quod plerumque sint de rebus spiritualibus, quæ in intellectum non cadant, II. quod cum dormientibus, vigilantibus & in ecstasi diabolicam raptis communi-
cet I. alibi gesta, I. ignota egr. lingvas, artes, quæ mente humana, nō phantasia percipiuntur, III. Intellectui nimirū subtiles discursus injiciat aut proponat, qui non sint objectum phantasiæ IV. Scripturæ quoq; locutionib; tribuatur diabolo immissio in cor excoecatio mentis, cribratio fidei in corde &c. Joh. 13. 2. 2. Cor. 4. 4. Luc. 22. 3. Durū ergo nimis videri omnes illas de phantasia brutis cum homine communi exponere.

§. VIII. Neque vero ullam occasionem prætermittit, quam videndo fini aptissimam omnino censer; quapropter vices & rerum tempora pendit; potissimum I. quando afflictio diu durat & liberatio differtur 2. quando videtur nimium singularis & insolita calamitas 3. quando sub prætextu magni boni suggerit aliquod suscipiendum quod vel cum periculo conjunctum, vel supra vires & vocationem nostram est. 4. quando sub prætextu virtutum vitia palliat; ut sub prætextu providentiæ avaritiam, sub prætextu justitiæ crudelitatem; superbia pingitur sub nomine celsitudinis animi, ignorantia simplicitatis nomine venditur; profusio liberalitatis speciem assumit. 5. pace, quiete, tranquillitate abutitur ad securitatem instillandam.

Quem

quemadmodū eleganter graphiceque pariter fraudes ac astutias diaboli recenset & describit B. noster *Cheerinitius* P. I. Harmōn. Evangel. p. 486.

§. IX. Cum itaque premuntur homines calamitatibus; & ingruunt vexationes christiani nominis crudelissimæ, innumerabilem hominum multitudinem tentavit ac decepit eos terrendo suppliciorū immanitate; quam cum homo sibi relictus intueretur, dubitare primum de divina veritate, aut nimio istorum metu fidem plene extinguere. Videbant namque quod Christiani fidei Christo datæ oppido tenaces ad mortem raperentur, tradendi quæfitissimis cruciatibus; quippe eorum aliqui submergebantur, manibus pedibusque constrictis & vinctis, lapidibusque nunc supra nunc infra alligatis in mare aut flumen præcipitabantur: quod κατὰ ποντισμὸν cognominabant. Quibus cum benignius videbatur actum; gravioribus longe vero tormentis subiciebantur, qui imperio jussuque magistratuū in foveas igne ardentis desilire spiritumque ibidem reddere cogebantur. Hinc Poeta satis elegans & Christianus eleganter miseram hanc Christianorum sortem expressit:

*Appositam memorant aram fovea stetisse summa
Lege sub hac, salis aut micam, jecur & suis litarent
Christicola, aut media sponte irruerent in ima fossa.
Prosiluere alacres cursu rapido simul trecenti
Gurgite pulvereo mersos liquor aridus voravit.*

Vid. Prudent. περὶ Σεφανῶν hymn. XIII. in passione Cypriani Martyris.

§. X. Alios in vivam calcem injectos sensimque consumptos & resolutos, intactos inviolatosque animos Deo reddi-

reddidisse constat. Multos bestiis feris tum tauris quoque & vaccis ferocientibus objecerunt; qua ratione autem eadem concitatae ac emissae in Christianos ruerint, agit optime *Justus Lipsius* in erudito de Amphitheatro libro. Multos ad stipitem dimidii asseris revinxerunt, ut sarmentorum ambitu exurerentur, vel in eqvuleo eos suspendi jubentes & cum ferreis pectinibus carnes eorundem carminari, tantam fidelium stragem ediderunt, ut rivi pingvedinis humanae per arenam amphitheatri sulcum fecerint; referente *Tacito*. Vid Author Vitae *Blæsii Martyris* apud *Juretum* in Nott. ad Paulini L. V. Ad istorum autem supplicia atque horrendos cruciatus gravissimus Ecclesiae Doctor *Tertullian*. (quem non nisi MAGISTRI nomine ornabat *Cyprianus*; DA MAGISTRUM; Paulo Concordiensi Notario suo *Tertullianum* promere jubens, observante *Sixto Senensi* in Biblioth. Sanct. L. 4. p. 381.) digitum intendit Apologet. c. L. *Sarmenticios*, inquit, & *Semaos* appellatis, quia ad stipitem dimidii axis revincti sarmentorum ambitu exurimur.

§. XI. His & innumeris aliis cruciatibus perferendis multi eorum non suffecisse deprehensi sunt; sed ad aram a gentilibus abstracti thura diis eorundem obtulerunt, quod & Episcopos quosdam fecisse *Optatus* queritur *Milevitanus* L. 2. quos *iburificatos* vel *sacrificatas* vocitabant. Alii pariter tormentorum meruentes amplitudinem *περὸς ναρξο* maluerunt esse, quam fidem ad ultima usque sartam tectamque conservare; qui accedentes Magistratum Gentilium magna vi pecuniae soluta libellos sibi acquisiverunt, quibus copiam non sacrificandi idolis istis consequerentur. Atque istos nominant

D

Libel-

Libellaticos, qui diuini quidem generum, aliqui Christum negarent ac libello dato se non esse Christianos affirmarent, ut hac ratione poenas, quae de Christianis sumebantur, quoquo modo effugerent. Secundi generis qui Christum fatebantur, pecunia vero redimerent, ne diis sacrificare cogentur quales libello a praesidibus accepto periculum effugiebant. conf. Suicer. Thesaur. Eccles. P. II. voc. λιβελλος p. 240. Istis tandem accedebant traditores, qui quod Scripturae S. codices gentilibus igne exurendos tradidissent ita dicebantur. Decretum de exurendis libris sacris promulgatum mense Martio, anno XIX. Imperii Diocletiani, de quo Euseb. L. VIII. Hist. Ecclasiast. C. II. ubique, inquit, mandata imperatoria affigebantur, scripturas igni absumentas precipientia. Atque istos tentator objectis cruciatuum minis prosternebat; alios autem artibus malis aggrediebatur eosque honoris vel praemii vel alius rei sibi desideratae cupidos, quorumcunque ferebantur studio, adortus fuit.

§. XII. Atque horum quidem exemplorum pleni sunt omnes sapientum libri, pleni eorum voces, plena denique eruditorum monumenta; ut illorum copiam proh dolor paucis assequi liceat, quin imo nemini mortalium. Innumeros in Veteri Ecclesia prostravit ambitione, Arium Nestorium, Eutychium; alios pecuniae amore, alios aliis telis, ut oppido insignis sit προσκαλέων numerus. idem hodiernum agit per Romanae curiae mancipia & alios haereticos, qui manu una lapidem, id est, iacturam salutis aeternae tegunt, altera panem; divitias, honorem gloriamque mundi ostentant; & variis omnino telis ad tuendas partes suas pertrahunt. Nimium quantum iactat ista opum

pum

pum magnitudine, ut non sine causa *Thomas Stapleton* admiranda Ecclesiæ Romanæ scripserit, nostræ autem, ut solet fidelibus piisque in orbe hoc misera quævis fors evenire, Ecclesiæ egestatem ac inopiam objiciat; quo fieri tandem asserit *Augustinus Gibbon de Burgo* in *Luthero Calvinismo*, Schismatico quidem sed facile reconciliabili *Disp. ult. quæst. ultim. §. XV.* ut multiplicata principum sobole non possint non ad Ecclesiam Romanam redire, quod minime amplius sufficienter sustentandis liberis; destituti autem omnibus mediis præsidium inveniant in Ecclesia Catholica. Est sane inquit inter alia valde timendū, ne illustrissimæ Principum Protestantium Germaniæ domus penitus sint perituræ, si reditum ad Ecclesiam Catholicam diu procrastinent. Quia Deus speciali sua providentia singulis tot Proles concedere dignatur, ut si inter illos (prout leges Germaniæ præscribunt) eorum Principatus (uti jam partim divisi sunt) continuo dividantur, necesse est paulatim eorum stemmata à debito & antiquo splendore degenerent. Cui malo non video, quo meliori modo occurrere possint, quam dimisso *Luthero-Calvinismo* ad Ecclesiam Romano-Catholicam redeundo, in qua ipsorum filiis ac nepotibus sufficienter erit provisum. Alii enim possunt esse Cardinales, *Archi-Episcopi & Episcopi*, Alii *Præpositi, Decani, Scholastici & Canonici* summarum ædium, seu Ecclesiarum Cathedralium. Alii denique in sacris ordinibus divino cultui mancipati, relictis omnibus Deo voluntarie se offerre poterunt: & sic domus ac stemmata in natu majoribus cum debito splendore conservabuntur. hæctenus *de Burgo*. Pugnant alii telis aliis, quæ carnalis suggerit prudentia; mysteria fidei non ex fide,

D 2

sed

sed rationis nostræ captu dimetienda esse statuentes; ut ut Paulus eam subigendam ac fidei subjiciendam doceat; quibus telis non ipsi occurrentes tandem cedunt atque victas porrigunt manus. Prætermiſſis historiârũ veterum libris recentiora monumenta delibabimus atque ex iisdem illustriora quædam afferemus exempla, quibus destinamus

. C A P. III.

§. I.

QVod ab historia *Francisci Spiera* auspicamur; qui ut inter primos veritatis Evangelicæ immortalis divinæ clementiæ beneficio Lutheri nostri Theandri opera nobis caliginibus tenebris cosissimis sepultis redditæ confessores non ultimus extitit; sic quoque eandem primus fere omnium abnegavit. Delatus namque ad Archiepiscopum Beneventanum *Jobannem Casum*, Pontificium legatum, tum temporis degentem Venetiis, ab eodem minis atq; increpationibus exceptus fuit mortisq; metu & bonorum amplissimorum jactura territus fidem quã receperat excussit, publica se declaratione omnibus testatum esse præstiturum pollicitus, quod fidei Catholico-Romanæ sit tenacissimus atque constantissimus assertor. Interea autem plus vice simplici conscientia stimulos sensit serio monentis, ut potius periculum capitis adiret, & fortunæ bonæ postponenda duceret animæ tranquillitati ac felicitati æternæ duraturæ; vocem quoque cœlitus lapsam in itinere audiit a proposito dehortantem, sed dictum factum, abreptus suis affectibus Christum respuit atque abnegavit; quem divina statim insecuta est vindicta; & ipse *Spiera* animam desperabundus ac indignabundus exspiravit. Ad hanc deturbavit ipsum infelicitatem honoris bonorumque amor: qui sparsum semen lucemque Evangelii, quæ

quæ per universam Germaniam penetrabant, Alpes ipsa sidera ferientes superabat, & totam plane Europã ulterio- resque plagas collustrabat, lubens admiserat; sed sua culpa *πρὸς αἰῶνας* effectus æternas pœnas luet. Vid. *Lud. Rabi* Part. III. de Martyribus.

§. II. Non minores aut forsã grãviores adhuc sol- vere necessum habebit *Fridericus Staphylus* Westphalia oriundus, qui nullis minis sollicitatus ad Papæos abiit A. 1554. & Ingolstadii professus summa animi perturbatio- ne defunctus A. 1564. utut ipsum Patrem *Lutherum* & *Philippum Melancthonum* docentes audiisset, Romanam Synagogam esse Anti-Christi; nihilominus rerum munda- narum cura ipsi obtinuit. Quid de *Iusto Lipsio* dicam, fa- moso illo vertumno, qui religione non secus ac numero usus est, tandem consilio in nos meram sanguinum spirante uti *Theophili Spizelii* Ecclesiastæ Augustani verba habent in *Scrutinio Atheismi*. Qui in Academia Jenensi aliquantulum Professore agens, paulo post quasi vertigine abreptus ad Reformatos & tandem ad Papæos transiit. Amor pecuniæ pariter honorisque ipsum occupaverat; quapropter fidei orthodoxæ amor arctè adeo non eum tenebat, ut hoc non excusio alterum sequendum duceret. Hanc ejus stultitiam, qua senio ferme confectus ficta ista *Maria Sicbemensis* & *Aspricollensis* miracula consignavit & oraculorum divinorũ fidem voluit mereri, oppido delusit ac depexuit *Gregorius Thomsonius* in scripto contra *Lipsii Divam Aspricollensem* & *Matthias Bernegerus* Dissert. de idolo Hallensi.

§. III. Atque isti associandum ducimus olim quoque nostrum *Georgium Vicelum*, Pastorem Ecclesiæ Nimeck. non procul a Witteberga remotæ; qui isto autem munere abire est coactus, quod gravem de divinitate Christi erro- rem errasset. Dilcessit itaque Moguntiæque Sacerdos fa-

Etus Ao. 1563. obiit, alias ab Imperatoribus Ferdinando I. & Maximiliano II. de modo componendorum religionis diffidiorum consultus fuit sententiamque promere iussus, ceu *Georgius Calixtus* de conjugio Clericor. p. 440. observavit. Neque vero ab istis longius absunt *Jodocus Coccius* Bilefeldiensis, *Vitas Erbermannus*, *Johannes Pistorius*, *Bartoldus Nibsius*, *Johannes Kircherus* Tubinga-Wurtenbergicus, omnes orthodoxa religione atque fide vera instructi sed explorationibus & tentationibus non resistentes πρόσκαιροι facti naufragium fidei fecerunt; illud quoque est vel maxime dolendum *Helfricum Ulricum Hunnium* magni Parentis *Ægidii* filium & *Nicolai Hunn*: fratrem tantam horum gloriam commaculasse turpissima defectiōne & obtinendæ rei mundanæ causa favorem Dei neglexisse. Et quis omnia πρόσκαιρων exempla recenseret; duos tantum adhuc liceat adduxisse, qui ad Papæos transierunt.

§. IV. In his nomino *Lucam Holstenium* Hamburgi in notissima ac florentissima litteris pariter ac commerciis urbe natum, qui magnam litterarum humaniorum solidamque scientiam consecutus, ut Scholæ patriæ moderamen obtineret, à magistratu iussus est: quam quidem aliquantulum tenuit spartam; sed mox ea se superiorem judicans illam reliquit variasque regiones peragravit; tandem magnum istum herosa Grotium convenit, & adhuc dubius, Romanæ ne nomen daret Ecclesiæ, ad eodem fuit inductus, dicente, nullam esse in Doctrina Ecclesiam puriorem, in cultu & moribus corruptiorem, quod ipse *Holstenius* Romæ cuidam docto narravit, postea eidem exprobravit *Andr. Rivetus* in *διαλυσ.* Grot. p. 57. edit. in 8vo. Postea hic ipse Romam venit & fixa salutis, uti sibi persuadebat, ibidem sede in maximorum adicitus amicitiam & ad summum honorum cul-

culmen eius obiit. Monumentum, quod ipse in honorem & maximæ eruditionis memoriam erectum fuit a Cardinale Francisco Barbarino, in gratiam B. Lectoris ex *Lambec. T. VII. de Augusta Vindobonensi Bibliotheca huc* apponimus.

D. O. M.

LUCÆ HOLSENIŌ , SAXONI HAMBURGENSEI QUI CLARUS IN GALLIIS ROMÆ CLARIOR GENTIVM OMNIUM ÆTATUMq; HISTORIAS ET ECCLESIAE RES MENTE COMPLEXUS DIVERSIS REGIONIBUS PERAGRATIS DIVERSOS EARUM FINES ET NOMINA PROBE TENUIT VARIAS QUOQUE LINGUAS PRÆTER GRÆCAM LATINAMQUE QUARUM SCRIPTORIBUS PLURIMUM LUCIS ATTULIT, ANTIQUAM PHILOSOPHIAM CALLUIT. AB URBANO VIII. CANONICATU PASILICÆ VATICANÆ AB INNOCENTIO X. PRÆFECTURA BIBLIOTHECÆ ORNATUS, AB ALEXANDRO VII. SAPIENTER UNUS ELECTUS, UT OCCURRERET SVECORUM GOTHORUMq; REGINÆ INCOMPARABILI QUÆ MIRAM IN TANTO VIRO SUMMI INGENII SUMMÆq; MODESTIÆ CONIUNCTIONIONEM SUSPEXIT ET PRÆDICAVIT : VITÆ DENIQUE LAUDATISSIMÆ ET ILLUSTRIVM RERUM CURSU. EXIMIUS PATRIÆ GERMANIÆ AMATOR, PROPUGNATORq; RELIGIONIS CATHOLICÆ OBIIT ANNO ÆTATIS SUE LXV. IV NON. FEBR. A. M. DC. LXI.

FRANCISCUS BARB. CARDINAL. S. R. E. VICECANCELL. HERES EX ASSE AMICO OPTIMO

P.

S. V.

§. V. Ceterum hic ipse, quem modo citavimus, *Petro Lampecius*, qui eidem urbi ortum suum debuit Holsten ū propinqua necessitudine contingens προσκαίρων quoq; exemplum sistit. Adhuc juvenis aut verius puer multoties per litteras Roma transmissas ab Holstenio ad culturam ingenii & literarum humaniorum est invitatus; quarum jactis fundamentis in Batavorum suavit abire scholas, ne in Academiis Germanicis commestationibus vacare disceret, eique indefessum adjunxit monitorem *Bartholdum Nibesium*, quibus procurantibus secutus est cognati sui exemplum & ejurata religione orthodoxa lautiores inter peregrinos condiciones expectando patriæ nuncium remisit.

§. VI. Itis ergo qui ab orthodoxa defecerunt religione ad Papismum, paucos addimus qui ad Socinismum sunt prolapsi πρόσκαιροι. In quibus numeramus, *Christophorum Ostorodum* Goslariensem Saxonem, *Johannem Volkelium* Grimmensem Misnicum, *Valentinum Schmalzium* Gotha - Thuringum, *Martinum Ruarum*, Krempa - Holsatum, *Johannem Crellium* Holmetzhemio - Francum, *Jacobinum Stegmannum* Marchicum, *Valentinum Baumgarten* Memela - Borussum, a Magno nostro, ὁ νῦν ἐν ἀγλοῖς Calovio ad viam reductum, sed ad vomitum instar canis redeuntem, aliosque qui tentationibus succubuerunt atq; recesserunt. Alios omittimus, qui Reformatis & reliquis hæreticis se addixerunt cum id temporis & charitæ pariter angustia prohibeat. Qui autē puritati nostræ fidei nihil detrahunt abitu facto; & idem nobis obvenire credimus, quod apostolis, qui paucissimi Judam quoque amiserunt

πρόσκαιρον.

